Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 235
Quelle:
Copyright:

aedib. Jo. Frobenii 1519. 4. unde in omnes *Chryſ.* Editiones *Baſileenſes* et *Pariſinas* tranſiit. Hanc rejecit *Montefalconius;* de noſtra vero praeſente nil meminit. Seculo jam X. paratam fuiſſe *Codex* noſter CCXII. docebit; at etiam typis extat, et quidem non modo in edit. *Veneta Opp. Chryſ.* 1503. f. ubi *ſecundae numerationis fol.* 29. legitur, ſed Bibliotheca *Aug.* inſuper Syllogen opuſculorum *char. goth. ſ. l. et a.* 4. excuſam ſervat, quae editionem *venet.* fortaſſis aetate ſuperat, et in quam noſtra quoque Verſio recepta eſt. Utut adcuratione multum infra *Montefalconianam* ſit, inveniſſet tamen Vir hic locum illum T. I. p. 29. *και 'ησπαζοντο, et ampleſtebantur*, quem in *Monito* retractans reddit: *et ſalutabant*, in ea jam recte habere.

XXXVII. *fol.* 411. *Incipit Criſoſtomus de Compunctione cordis.* Initium: *Cum te intueor beate Demetri frequenter inſiſtentem michi* &c. Finis: *effecti cibus inextricabilibus et immortalibus flammis.* Diviſio in II. Libros non niſi per literam capitalem miniatam indicatur. Extat *Montefalc.* T. I. p. 122. cum nova verſione. Noſtra habetur in *Sylloge ſuprac.* primo loco, et in edit. *Veneta ſecundae numerat. fol.* 20. p. 2.

XXXVIII. *fol.* 426. absque titulo: *Johannis de Gerſona Formula viſitandi*, ut ſupra. N°. XXXI.

XXXIX. *fol.* 428. p. 2. *Reſponſio Ambaſiatorum concilij baſilienſis ſuper articulis boemorum facta 23. die Junij.* Incipit: *Quantum ad articulum de predicatione verbi dei, dicimus* &c. Fuſius haec habentur T. XVII. *Concil. Labb.* edit. *Venet. col.* 205. ad an. 1431. ubi et *Ambaſiatorum* nomina recenſentur.

XCI. VI. g. 27.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 377. 4. charactere praegrandi craſſoque perſcriptus et quondam *Wenceslai Roſſii* Sacerd. qui, ut in tot aliis hactenus recenſitis, variis paginis nomen notasque temporum adjecit, eſt *Commentarius* fuſus in V. *Pſalmos*, videlicet a CIV. ad CVIII. hoc initio: *Sequitur Pſalmus 104tus. Confitemini domino et invocate nomen eius &c. In precedenti pſalmo monuit ad laudandum deum ex conſideracione beneficiorum eius vniuerſe creature exibitorum* &c. Ex his veriſimile fit, quae in hoc *Cod.* extant, Partem eſſe Commentarii in totum Pſalterium, atque hic excuſſis quam plurimis Commentatoribus non invenio, ad quem magis cum re, tum phraſi ipſa accederent, quam ad *Alberti M.* Expoſitionem, quae habetur *Opp. omn.* edit. *Lugd.* 1651. T. VII. f. 541

XCII. VI. C. 21.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 10. f. continet Metaphraſin Pſ. LXXXVIII. *Miſericordias Domini in aeternum cantabo* &c. et Pſ. LXXVIII. *Deus* 147

ve-